

esse hominum scelere, violentia, impulsu, conatu, & bellico incurfu, quam omni alia calamitate. Nulla belua est ferocior homine effrenato, immani, voluptuario, vafro, & stimulis flagitiorum commoto, nulla perniciosior, nulla capitalior. Eam ob causam hic ad Deum laudibus celebrandum nequaquam inuitatur. Nā vt ait capite quintodecimo Ecclesiasticus: Non est speciosa laus in ore peccatoris. Ac illi ait Deus per diuinum psalterem Psalmo 47. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Ac si dicat: Qua fronte audes laudare præcepta mea, cum ea minime obserues, cum virtutis simulatione me verbis cōfitearis, factis autem neget?

Eccle. 1

Luc. 1.

¶ Quia in omnia secula misericordia. Iuxta illud virginis sacratissimæ apud Lucam capite primo: Misericordia eius ad progeniem in progenies timentibus eum.

Luc. 1.

Pf. 102.

¶ Hucusque in Hebræo non habentur, & que posuimus, de editione Theodorionis translata sūt. Quæ de re ea poteris videre, quæ diximus in præfatione ad lectorem.

I

Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, & surrexit properè: & ait optimatibus suis. Nonne tres viros missimus in mediū ignis compeditos? Qui respondentes regi dixerunt: verè rex. Respondit rex, & ait. Ecce ego video viros quatuor solutos, & ambulantes in medio ignis: & nihil corruptionis in eis est: & species quarti similis filio Dei. Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, & ait: Sidrach Misach & Abdenago serui Dei excelsi vini egredimini, & venite. Statimque egressi sunt Sidrach Misach & Abdenago de medio ignis. Et congregati satrapæ, & magistratus, & iudices, & potentes regis contemplantantur viros illos, quia nihil potestatis habuisset ignis

in corporibus eorum: & capillus capitis eorum non esset adustus: & saraballa eorum non fuissent immutata: & calor ignis non transiret per eos. Et erumpens Nabuchodonosor ait: Benedictus Deus eorum Sidrach videlicet, Misach & Abdenago, qui misit angelum suum, & eruiat seruos suos, qui crediderunt in eum: & verbum regis immutauerunt: et tradiderunt corpora sua, ne seruirent, & ne adorarent omnem Deum excepto Deo suo.

¶ Me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus, & tribus, & lingua quacunque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach Misach & Abdenago, dissereat, et domus eius vastetur. Nec enim est alius Deus, qui possit ita saluare. Tunc rex promouit Sidrach Misach, & Abdenago in prouincia Babylonis. Nabuchodonosor rex omnibus populis, gentibus, & lingua qui habitant in vniuersa terra, pax vobis multiplicetur. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi predicare signa eius, quia magna sunt, & mirabilia eius, quia fortia: & regnum eius regnum sempiternum, & potestas eius in generationem, & generationem.

Intr. 7.

¶ Tunc. Subauditur, viso miraculo, quo rex fuit stupore, & vehemente admiratione affectus. Et dixit optimatibus suis, hoc est viris illis illustribus, quorum consilio innocentes Hebræos proiecerat in flammam. Nonne tres viros, Subauditur, tantum, missimus in medium ignis compeditos? Ac si dicat. Nonne tres duntaxat viros vincos proiecimus in fornacem ardentem? Non est mirum fuisse eos iniuriis affectos, & in flammam immisos, nam vt capite 3. po sterioris ad Timotheū ait apostolus: Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur. Sed felix huiusmodi persecutio.

2. Tim. 3

K ¶ Ecce